Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



35

suam. quodlibet horum dixerit siue de soluenda corrigia calciamentorum
siue de portandis calciamentis. eandem tamen sententiam tenuit.
quisquis etiam uerbis suis p calciamentorum comemorationem eandem
significationem humilitatis expressit. unde ab eadem uoluntate
non erraui. Vtilis et modus. & memorie maxime commendandus.
cum de conuenientia discimus euangelistarum. non esse mendacium.
cum quisq; etiam dicens aliquid aliud. qd etiam ille non dixit.
de quo aliquid narrat. uoluntatem etiam tamen hanc explicat.
quam etiam ille qui ea uerba comemorat. ita enim salubriter discimus
nihil aliud esse querendum. quia qd uelit ille qui loquitur. Sequitur
autem matheus & dicit. Tunc uenit ihs a galilea in iordanen
ad iohem. ut baptizaretur ab eo. Iohannes autem prohibebat eum
dicens. Ego autem debeo baptizari. & tu uenis ad me. Respondens
autem ihs dixit ei. Sine modo. sic enim decet nos implere omnem
iusticiam. Tunc dimisit eum. Attestantur & ceteri uenisse
iohem ad ihm. baptizari tres commemorant. si tacent quod
matheus ait dixisse dno iohem. uel iohanni dnm respondisse.
Deinde sequitur matheus. Baptizatus autem. confestim ascendit de
aqua. Et ecce aperti sunt celi ei. & uidit spm di descendentem
sicut columbam. & uenientem sup se. Et ecce uox de celis dicens.
Hic est filius meus dilectus. in quo mihi complacui. Hoc & alii duo
marcus & lucas similiter narrant. si de uerbis uocis que de celo
facta est uaria locutione. salua tamen sententia. Quod enim
matheus ait dictum. hic est filius meus dilectus. & alii duo dicunt.
tu es filius meus dilectus. ad eandem sententiam explicandam
ualet. sicut supi tractatum est. Vox enim celestis unum horum dixit.
si euangelista ostendere uoluit aliud ualere quod dictum est
hic est filius meus. ut illi populi qui audiebant indicaretur
quod ipse est filius di. atq; ita dictum referre uoluit. tu es